UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Polanci Societatis Iesv Theologi, Directorivm Breve, Ad Confessarii, Ac Confitentis Mvnvs Rectè Obeundum

Polanco, Juan-Alphonso de

[Köln], 1617

Circa septimum, Non furaberis, cui adiungitur decimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41600

Visual Library

Circa ſeptimum, non furaberis, cui adiungitur decimum, Non concupiſces rem proximi.

Circa cogitationes.

AFfectus habendi inſatiabilis; ſollicitudo inquieta in acquirendis rebus temporalibus: cupiditas bonorum eccleſiaſticorum vel aliorum etiam per vias non licitas: voluntas inordinata accipiendi, vel retinendi aliena.

Praua & inſatiabilis rerum temporalium & eccleſiaſticarū cupido.

Circa verba.

Hinc fit progreſſus ad verba, & peccatur per mendacia in judicio, & extra, ad damnum proximi in rebus pertinentia, & per quæuis alia verba quæ ad hoc faciunt.

Mendacia in judicio & extra, contra proximum.

Circa opera.

Si furatus eſt, & quantum: ſi injuſtè acquiſiuit, vt per ſimoniam, vel ex naufragio, vel per fraudem in emendo vel vendendo: circa rem aut eius ſubſtantiam, aut qualitatem aut quantitatem, aut precium: ſi contractus vſurarios, vel ſocietates & cambia non juſtè exercuit: ſi rapuit per vim aliena, vel ſua à quieto poſſeſſore, cùm aliter recuperare poſſet: ſi vſus eſt adulterinâ monetâ, licet ab

Furtū. Fraus.

Inuenta quæ re-

ſtituenda.
Fraus in ludo.

alijs deceptus: ſi inuenta non reſtituit, quæ non habentur pro derelictis: ſi fraude in luſu vſus eſt: ſi damnum intulit rebus proximi: ſi vſurpauit bonum commune: ſi impoſuit, vel exegit vectigalia indebitè: ſi alijs operam ſuam locando, fideliter non operatur: ſi vt egenus mendicauit, cùm non egeret. Adde profuſionem, vel prodigalitatem, quæ extremum alterum, auaritiæ contrarium eſt.

None-genus mendicans.

Circa omißiones.

Hic de tenacitate, theſaurizando quod alijs communicatum oportuit, vt ſi poſſideatur potiùs quàm poſſideat bona & ſi non reſtituat quæ debet.

De ſuperbia.

Circa cogitationes.

Diuitiarum affectus.
Propria ſui ipſius existimatio.

PEccat, qui exiſtimauit bonum quod habet, ex ſe habere, vel à Deo quidē, ſed proprijs meritis: qui vel arrogat ſibi quod non habet, aut amplius quam habet: ſi alijs deſpectis ſingularis voluit apparere: ſi ægrè tulit reprehenſionem, nec fateri voluit culpam quam fateri tenebatur. Adde præſumptionem, obſtinationem, impœnitentiam, curioſitatem in addiſcendis quæ non oportet; nolle ſubijcere ſuum judicium ſuperiori: ni-